

B. II. 86.  
H. 171.

DISPUTATIO

JURIS PUBLICI

De

SUMMIS IN IMPERIO ROMANO GERMANICO PERSONIS,  
EARUMQVE OFFICIIS  
ET JURIBUS,

QUAM

In Illustri  
*Academia Hasso-Schaumburgica,*

IN AUDITORIO JCOTORUM,  
Ad diem Mart. M DCCII.

Publico eruditorum examini subjiciunt

PRÆSES

HENR. ERN. KESTNER,

D. & Prof. Jur. Ordin.

Et RESP.

JOHANNES ADOLPHUS FURSTENAU,

Hervordia Westphalus.

21.

RINTHELII,


Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

45

D. 11.

II K  
1458





## §. I.



**I** ullum est in terrarum  
orbe Imperium, qvod & antiquitate,  
& verum gestarū gloria, & membris,  
qvibus constat, illustrioribus com-  
mendari meretur, est illud sane, & à  
tot seculis summam gloriam tenuit,  
Imperium Romano Germanicum.

Vix enim dabitur regnum, in quo  
tot tantiqve summi principes, qvi merito Imperii lumina &  
columna audiunt, reperiuntur, ac in Germania, ut adeo  
non incongrue hoc referas glorioissimum illud Glorioissi-  
mi Imperatoris Maximiliani dictum, Imperatorem scil.  
Romanum Regum esse Regem, qvod si enim vel prim. o  
saltē oculo augustissima illa, qvæ summis in Imperio no-  
stro personis competunt, jura inspiciamus, qvale non in-  
provinciis suis exercent summum Imperium? Habent  
eqvidem jus vitæ & necis, leges condunt, qvamvis juri  
communi repugnantes, omnes reditus ex suis provinciis  
capiunt; tributa indicunt, foedera inter se & cum exte-  
ris feriunt, modo non contra Imperatorem & Imperium  
vergant; armis se defendant, munimenta extruunt, mone-  
tam cudunt, libertate religionis gaudent, qvin, qvicqvid  
ad gubernandam bene compositam rem publ. spectat, tenent.

A

Qvæ

*Prastantia  
& forma  
Imperii  
Romano-  
Germanici.*

Qualis vero heic nexus qualisve Imperii forma sit, non adeo inter Dd. liquet, qvæ enim heic pro & contra disputantur, non omnem lapidem movere videntur, eorum tamen sententia proximè scopum tangit, qvi Germaniæ formam, etiam ab omni memoria, & prima sui origine, mixtam esse afferunt. Eqvidem summa potestas in Rege & statibus ex æquo residet, ut alter sine altero nihil valide concludat, unde formula, haben sie sich mit uns, und wir uns mit ihnen verglichen / & qvidem Contracts-Weise R.I. 1500. inf. adeo, ut Rege & Statibus dissentientibus nihil prorsus agatur; qvod si tamen hanc rem penitus examinare velis, non incommodo dices, qvod Germania nostra ad Systematicam formam plurium sociorum inæquali foedere nexorum vergat. Conf. Huber. de jur. civ. lib. I. sect. II. c. 2. Schild. de coali. popul. & rerum publ. l. 2. c. 13. Cum verò tractatio Juris Publici longe fertilissima, ejusqve genuini fontes in academiis delibandi sint, non indignum ventilationis academicæ argumentum me suscepisse credo, si Summas in Imperio Romano-Germanico Personas, Earumqve officia & jura pro modulo tum exiguae disputationis, tum ingenii in hisce studiis parum adhuc versati repræsentavero, majora ad aliud, ubi ingenii vires creverint, tempus reservaturus, neqve indignum qvid me fecisse autumo, si genuina hujus rei principia potissimum ex Illustris Dn. Cocceji ingeniosissimo libro de Juris publici prudentia, & ex Dn. Brunnemann nuper edido Jure publico hausero, & verba horum in compendium traxero.

## §. II.

Inter summas imperii personas primum locum tenet Rex vel Imperator Romanorū, qvi duobus actibus creatur electio-  
ne & inauguratione, illa fit per primarios Regni officiales dñe  
Erz-Alempfer, quevis singulis tanqva sanctioribus toti⁹ augusti  
Collegii membris hoc jus competit; Imperium Germanicum  
semper Electivum fuisse ex historia patet, aut ad minimum  
probabile videtur, Qvamvis qvidē à primis inde temporibus  
con-

*De Imperatore &  
Romano-  
rum Rege.*

*Scopus.*



continuo sere successione tramite Imperium Germanicum de Familia in Familiam transisse dicant, constat enim hoc à Familia Merovingica in Carolingicam, à Carolingis ad Saxonem, à Saxonibus ad Francos, à Francis ad Svevos usque ad interregnum, & tandem ad glorioissimam Familiam modernam Austriacam abiisse, ut igitur in hisce familiis diu imperium fuerit conservatum, ea tamen ejus rei videotur esse causa, quod ob utilitatem, quin venerationem erga certam Familiam, diu huic Imperium commiserint, & quod maxime proficuum putarint, ex Regia Familia Regem, tanquam magis ad id educatum eligi. Quidque quod certissimum multarum turbarum tollendarum remedium esse judicarunt, nam & regiae familiae grave est, uti bene ait *Dn. Coccejus pr. iur. publ. c. 7. §. 16.* a tanto fastigio in privatam for tunam recidere, & primatibus, pari subjici; civibus vero, mutatis adversisqve studiis, ob turbas funestum, totique reipubl. a publicorum actorum custodia, rationibusqve, & aliis de causis periculosem. Quod vero in Familia Austria ca tamdiu Imperialis dignitas persistet, ejus causa est, quod non solum vix ulla sit praeter ipsam per Germaniam domus, quae ejus fastigii splendorem propriis redditibus tolerare queat; sed etiam, quod opes suas ita disposuerit, ut nullo negotio peculiarem Rempub. constituere possit, si contingat, alium ad Cæsareum munus vocari; de talibus enim sibi pro spexit privilegiis, ut, ubi alterius Imperatoris autoritatem agnoscere displiceat, statim dicere queat, sibi cum Germanico Imperio nihil negotii esse, privilegia Archiducum Austriae ex privilegiis Caroli V. recenset *Monzamb. c. 2. §. 4.* Eligitur autem, ut communiter volunt, Germanus, qualis est, qui vel patre Germano natus domicilium sedemque non mutavit, vel in ius civitatis nationis Germanicae publice & rite receptus est, ille originarius, hic ascitus, quam tam, quae heic allegatur consuetudo, longo seculo rum usu corroborata summos principes stringere non

A 2

vide-



videtur. *Dn. Thomas ad Monzamb. c. 4. §. 5.* locus nativitatis hoc non facit, nec sufficit patrem vel avum Germanum fuisse *Conf. Schleid. lib. 1. p. 20.* qvin qvod alii Regno jam qvis adstrictus sit, qvicqvam momenti post se trahit; debet tamen Rex cuiusqve probata in Imperio Religionis esse *P. O. art. 5. §. 35.* nec, cum juret, se advocatione ecclesiae Romanæ futurum, inde evincitur, qvod Catholicus solum esse debeat. Qvin Evangelicus Princeps, ad Regiam Germaniæ majestatem enectus, idem juramentum praestare debebat. Id verò in LL. antiquissimis fundamentatibus exprimitur, qvod ad hanc dignitatem aspiraturus, masculus, legitime natus, pubes esse debeat, impuberem tamen, qvando probabilis adest causa, electum fuisse, exemplum Henrici IV. qui ex Familia Francica erat, evincit.

### §. III.

#### *Series electionis.*

Electio rite fieri debet, fit autem vacante Imperio, hoc vacat **1.** morte **2.** resignatione in manus Electorum, etiam invitis ordinibus. **3.** depositione, qvæ non nisi ex gravissimis causis fit, judice comite palatino. Potest tamen Rex etiam vivo, qvin invito Imperatore eligi ex necessaria vel probabili causa *cap. Carol. V. art. 28.* *Ferd. I. & Rudolph II. §. Und insonderheit.* An verò talis sit, judicium est electorum, locum exprimit *A. B. tit. 1. §. 18.* nisi de alio loco ex causa convernit, ad formam Electionis requiritur intimatio, qvæ fit à Moguntino, cui pacis & præcipua imperii negotia tanquam Cancellario injuncta, (non à capitulo sede vacante). *A. B. tit. 1. & tit. 12. §. 19. diss. Conring. in Lampad. p. 3. c. 2. §. 21.* Quippe qvod jus ad solam Episcopi personam restrictum, nedum ejus legato) intra duos menses à die cogniti obitus per formulam præscriptam *d. A. B. t. 1. §. 19.* Processum ulteriore, qvin modum eligendi Imperatorem, requisita, usum capitulationis ejusqve novissima capita nervosè exprimit *Coccejus jur. publ. c. 8. §. 7. & 8.* Processum veterem *vid. apud Gold. tom. 3. ad an. 1247. Wippo in vita Conrad. sal. ante*



ante Carolum V. capitulationes quidem, sed non adeo solennes fuisse, certum est *Conf. Rachel. otio Noviomag. c. 19.* p. 44. de capitulatione perpetua facienda *Conf. Pufend. comment. rerum svecicar. XIX. §. 3.* *Lundorp. act. publ. t. V. lib. XI. c. 115.* *Pfanner. Hist. Pac. Westph. I. 3. c. 35.* *Autor der Gründfeste p. 3. c. 3.* Primum in electione votum habet Trevirensis, quod Moguntino non præjudicat, qui à sua persona votando incipere potest. Valet electione, tametsi omnes vocati non sint *A. B. t. 1. §. 19.* salva tamen hic contra Moguntinum actione, vel non omnes compareant, vel non tempestivè *A. B. t. 2. §. 4.* Suffragia pure fiant; his paribus, nihil agitur, sed alia facienda electione, neutriquam verò Pontificis arbitrio, uti frustra multi volunt, res committenda erit, non obstat, quod Imperatores aliqui judicium heic Papæ secuti videantur, quippe quod ex mera generositate, nulla juris necessitate fecerunt, prius non dimittuntur, quod autem quis sibi ipsi votum dare, & se nominare possit, extra dubium est. *A. B. t. 2. in f.*

#### §. IV.

Ut verò actus hie illustrior, & per publicationem universalem notior fiat, solet hunc excipere inauguratio, quæ est actus solennis, quo certi ritus atque insignia imperii conferuntur in electum ejus inaugurandi gratia. Fit hæc cum auspicii, tum autoritatis, non vero, cum mera saltem solennitas sit, apprehendendæ possessionis causa. Insignia Imperii ab electoribus feruntur, & quidem in solennibus curiis pomum fert Palatinus, ensem Saxo, sceptrum Brandenburgicum, *A. B. tit. 24.* duas coronas inferiores Principes *A. B. tit. 26. §. 4.* hodiè Bavarus pomum, Palatinus coronam, sigilla & typaria ArchiCancellarii, in actu hoc inaugurations Electores Clerici seorsim adeunt templum, seculares verò cum insignibus, & reliqui Principes; comites, legati præsentes Regem è palatio Regio eo comitantur: cæteras solennitates, actus sacros, convivia, quin & quam varios,

*Inaugura-*  
*tio Regis.*

qui



qui hic intercedere solent, ritus exponit *Dn. Coccejus d. c. §. 15.* Reginæ per Abbatem Fulensem, non tamen ut Archi-Cancellarium suum inaugurarunt. Uti quatuor quondam inaugurationes, sic totidem coronæ fuere Aquisgranensis, Longobardica, Romana, & Arelatensis. Sola prima in usu est, quæ Aquisgrani, tanquam antiquissima Carolorum sede fieri solet *A. B. c. 18. §. 5.* Suasit tamen conditio temporum sæpius alibi, quam heic, coronationem peragi. Facta hac coronatione Electus Romanorum Rex dicitur *Römischer Kaiser / modo Imperator mortuus sit.* De variis hisce coronis *Conf. Myler. ad Rum. p. 3. diff. 6. th. 7. Buxtorff. ad A. B. th. 46. Limn. jur. publ. l. 2. c. 5. §. 8.* Electio ab Episcopo fit, & semper facta fuit: olim quidem inter Moguntinum & Coloniensem acerrima ea de re contentio fuit, Coloniensi quam plurimos actus exercente, quæ autem an. 1657. ita decisa per transactionem, ut quisque in suo archiepiscopatu sit poterit, Moguntino incipiente. *cap. Leopold. §. 37. & Joseph. §. 36. Conf. Limn. ad A. B. c. 4. §. 3.* disputatio non erat de actu impositionis corona, ad quam omnes Electores ecclesiastici concurrunt, sed de actu consecrationis & benedictionis, quæ tempore coronationis fieri solet.

### §. V.

Electo Romanorum Regi competit Majestas, cum singulari eminentia, quippe qui caput populi Christiani constituitur *A. B. tit. 2.* unde est, quod alii Reges ei Majestatis titulum tribuant *R. I. 1555.* competit nimis Regi Rom. Majestas etiam vivo adhuc Augusto, distingvendum tamen est inter jus Majestatis, & ejus exercitium, illud semper ei competit, hoc non, nisi consensu Imperatoris, inde præcedit Regem Græcorum aliosque, quin ipsum Galliarum Regem, vel ob solum Regnum Germanicum, quippe quod Galliam subjugavit. *Conf. Crusium de jure prædria l. 3. c. 2.* Interim consuetudini, possessioni & receptæ a multis seculis observantia heic multum deferendum. Cæsar ipsum appellat

*Eur*

Majestas  
& dignitas  
Regis Ro-  
mani.



Eur Liebden / Rex Cæsarem, Eure Majestät. Est præterea indubitus regni successor, non vero, nisi hæ vices ipsi commissæ Imperii vicarius: & in augustum & in augustæ liberos crimen læse majestatis committitur, cum enim in statuas principis tale crimen committatur, multo magis in vivas has statuas tale committetur.

§. VI.

Quantum Summa regni officia concernit, constat ex historia, qvod summa olim potestas in Regno Regis ac statuum, in Provinciis ducum fuerit, hodie summa in territoriis suis potestatem habent status. Officia Regentium veteri instituto sunt vel Cancellariae, vel Aulæ: Aula locus publicus habitationi Regis Familæque Regiæ destinatus, Cancellaria (Capella) est locus publicus deliberaudis & expediendis negotiis Regni publicè destinatus. Qui his praeerant Cancellarii seu Capellani, eorumque Primarii, Archi-Cancellarii dicti, qvorum in jure dicendo officium versabatur, cui rite administrando præfecti sunt sacerdotes antiquissimo Germanorum & Gallorum more; hi enim erectis Academiis soli literatorum ordinem absolvebant. Aulæ officiis Archi-Officiales præficiebantur, cum Archi-Cancellariis in negotiis Regni deliberandis expediensque concurrentes, non quidem vi officii, ab hoc penitus distincti, sed qvod primarii totius regni Duces, administratores, ac consiliarii essent, qvamvis hanc in aula soli autoritatem exerceant: uti vero tria Imperii libera regna, sic totidem quoque Archi-Cancellarii fuerunt, Moguntinus per Germaniam, Coloniensis per Italianam, Trevirensis per Galliam, qva Germanico regno cohæret. *Dn. Coccejus jur. publ. c. X. §. 3.* *4. 5. seqq.* Olim Archi-Cancellariatus ambulatorii fuere. Coloniensis primus est & dextrum Regis latus claudit, ubique extra Germaniam. *A.B. t. 3. in f. & tit. 21. in fin.* Moguntinus in Germania, qvilibet in suis terris, Trevirensis ubique ex opposito Regis sedet, & ante Regis faciem procedit: in suffra-

*Officia regni antiquissima ex Coccejo recensentur.*

suffragiis prior est Coloniense, Jure Ecclesiae suæ, non officii, Moguntinus est director Circuli Rhenani, habetque jus statulæ & exercet actu jurisdictionem über das March-Schiff: nec subditi ejus in clientelam se aliis dare possunt. Prætensum ab ipso jus primiarum precum & Dominium Mœni dubium, jus verò luendi die Reichs-Pfandschafften & privilegium contra omnia privilegia nullum est. Cum vero, uti dictum, Archi-Cancellarius Imperii sit, subscriptit & sub-signat decreta, sigilla Imperatoria asservat, habet Archivum, quin & in Imperii comitiis directorium, in aula cæsarea solus Vice-Cancellarium habet, legati statuum in comitiis credentiales literas ipsi offerunt, tradunt ei in comitiis memoria & acta publica, in propositione comitali nomine Electorum & statuum respondet Conf. Bacler. not. imper. lib. 6. c. 5. qvanquam hic non omni exceptione major. Privilegia Electoris Trevirensis recenset Broverus in libro de annal. Trevirens. Coloniensis, Limnaeus juri. publ. lib. 3. c. 6. instar omnium commentarii vices supplere poterat Mallincrot, de Archi-Cancell.

§. VII.

Quatuor aularum officia antiquissimis prorsus temporibus fuisse, historiæ docent, nimirum Dapiferi, Marechalli, Camerarii, Pincernæ, jungebatur uni horum officium comitis palatii s. Magistri aulæ, primus officia culinæ, secundus officia itinerum & expeditionum, tertius cameræ secretioris, quartus officia rei cellariæ aulica explebat, comes palatinus potissimum justitiarii aulæ partes sustinebat, & ita omnis aularum, cum Regis tum Ducum, administratio divisa fuit, nomina vero haec non nuda ministeria, sed singularem quadam in aulæ ministros potestatem officiorumque præfecturam significare, contra Bodinum eleganter demonstrat, & naturam indolemque horum officiorum exhaustit saepe laudatus Dn. Coccejus d. l. §. 4. Aulæ augustæ quatuor officiis, die Erz-Aempter dictis, cum summa post Regem potestate quatuor

Officia  
aulæ.

9

qvatuor summi provinciarum duces praeerant, hi in suis Archi-Officiis substitutos seu vicarios habent die Reichs-Erb-Aempter/ qvorum tamen officia non terræ, sed familiae coharent, per seniorem exerceri solita. Ipsi Archi-Principes hæc ipsa officia in aulis suis habent hereditaria, hæc cum terra in feudum aliis concedentes, dicta die Erb-Hoff-Aempter/ a qvibus differunt officia in aulis non hereditaria die Hoff-Aempter/ qvæ arbitrio constituuntur. Inter hos ille fere primarius esse solet, qvi in aula principis sui id officium gerit, qvod ipse Princeps in Imperio. Ipsi qvoqve Archi-Principes Episcopatui Bambergensi, certis terris in feudum acceptis, praestari curant eadem officia des Stifts Bamberg Ober-Aempter/ qvæ,cum per substitutos Eqvites Francos, qvibus terræ hæc in subfeudum concessæ,expediuntur, des Stifts Unter- vel Affer-Aempter dicuntur. Archi-officia qvatuor aulica mox memorata, a totidem Ducibus provinciarum semper administrata, & initio quatuor tantum Duces Germani præter Regem fuerunt *Conf. Lehni Chron. lib. 2. c. 16.* videlicet Dux Rhenensis , Francus, Bavarus, Svevus & Saxo, Rex ex uno horum constitutus erat, qvatuor hi duces soli tum regalia habuerunt, & aulæ, bellis ac rebus eqvestribus præfuerunt, qvi status ad interregnum durasse videtur. Seriem historiæ, & qvomodo,extincta familia Saxonica, Saxo iterum, Brandenburgicus & Boëmus successerint, examinat *Dn. Coccejus c. 12. §. 6. 7. 8. 9.* Ut ut igitur Archiofficiales hi qvatuor rebus aulæ soli, rebus tamen Imperii una cum tribus Archi-Cancellariis præfecti sunt. Exinde igitur ortum trahunt septem illa Archiofficia & illustris qvondam ille septemviratus, de hisce Archi-Principibus vere ait *A. B. t. 12.* qvod sint solidæ bases Imperii & columnæ immobiles. in *Aur. B. c. 3. §. 1.* dicuntur Die sieben helle Leuchter des heiligen Reichs in Heiligkeit eines siebenförmigen Geistes zu erleuchten. *A. B. Proem. Obersste Vater und Rahtgeber der Deutschen Nation Conf. Cruger. de novemv.*

B

disc,

Origo 'Elec.  
torum.

*dist. i. §. 1.* & inde probabile quoque est, quod hi Archiofficiales de negotiis gravioribus, & sic etiam electione Regis, præ reliquis statibus prærogativa quadam gavisi fuerint. Concurrebant quidem status & populus ad electionem cum Archiofficialibus, sed diversimode, statuum potestas in nominatione & commendatione, Archiofficialium in electione, cui cæteri acclamabant, consistere videtur. *Conf. Windeck. de Princ. Elec. orig. c. 5. Gevvold. de Septemvir. p. 122.* Cum vero Bohemia Slavici, non Germanici Juris sit, non concurrit Rex Bohem. in aliis Imperii negotiis, & ne in conventibus quidem Electoralibus extra electionem Regis. Neque movet, quod olim Carolus IV., hodieque ejus Reges Germani sint, hoc enim Archiofficium non personæ, sed provinciæ cohæret. Inde facile conciliari possunt ea, quæ de negotiis Imperii a sex, & deinceps septem saltem Electoralibus tractandis dicuntur; cum Boëmus officium suum non exerceat nisi beneden Wahl-Eugen; nec in unione Electorali, quæ Electorum jura firmat & confirmat, comprehendatur.

### §. VIII.

Summis His Imperii Archi-Principibus vi primarii in Regno officii, Regni publicorumque negotiorum administratio, quin & electio una cum statibus Imperii competit, sed jure quodam præcipuo, uti in §. antecedenti dictum, quod jus usque ad interregnum duravit *Conf. Aut. de benefic. §. 12. Jus Saxon. Feud. c. 6. §. I. Spec. Saxon. lib. 3. art. 57. §. 3. Abbas Stadens. ad annum 1240.* Post interregnum vero, vel illo durante, electionem solis Archiofficiis relictam esse constat *Conf. Chron. Belg. ad ann. 1247. Gold. conf. tom. 1. ad ann. 1275.* Quantum vero augustiora Electorum jura concernit, genuinos horum fontes ostendit, **Aurea Bulla**, capitulationes, praxis & observantia Imperii. Habent evidem jus quotannis, & quotiescumque volunt, se congregandi, vocantur die Collegial-Eage / a quibus tanquam species differunt die Wahl-

### Jura Archi-Principium.




Wahl-Eage / tractant in iis de negotiis Imperii & salute  
orbis, qvin & de propriis rebus, circa comitia indicenda  
qvatuo electores Cæsari svadent aut diffvadent, negotio-  
rum Imperii maximorum & salutem totius corporis concer-  
nentium præconsultationem cum Cæsare habent, habent  
singulijus præsentandi duos Assessores, jus condendi capi-  
tulationem, qvorum enim est eligere, eorum etiam erat  
capitulationi huic legem dare, qvamvis tamen, uti dictum,  
de capitulatione certa perpetuaqve ejus lege facienda in  
comitiis agatur, præterea per auream Bullam Regibus pa-  
res judicantur; legati eorum Excellentiaæ titulum, operi-  
endi caput, primam visitationem, & reliqua more Regum  
accipiunt, in processionibus Imperialibus nec Regibus ce-  
dunt, bene vero extra illas, accedit, qvod Cæsar multa non  
possit facere sine consensu Electorum, uti foedera facere in  
rébus Imperii, concedere Jus monetæ, vestigalia vel jura  
stapulæ, Feuda Regalia, facere ordinationes Imperii pro re-  
nata, alienationes & oppignorationes quoqve horum con-  
sensu fiunt, qvod si tamen hæ magni momenti fuerint, con-  
sensu ordinum opus erit, pro investituris & confirmationi-  
bus suorum jurium nihil solvunt Cancellariae Imperiali, ad-  
versus ipsos, etiam a nō subditis, crimen læsa majestatis com-  
mittitur, habent privilegia de non appellando, & de non  
evocando, principatus eorum ita sunt individui & inaliena-  
biles, ut aliud induci nequeat; successionis foeminæ in elec-  
toralibus terris prorsus sunt incapaces, singulare jus tutelæ rati-  
one ipsius Archiofficii & juris eligendi, sòli collegium consti-  
tuunt & æqvant suffragia Principum ac comitum, deinceps  
regem ex magna justaqve causa removere possunt. Hodierni  
Archi-Principes præter tres Electores Ecclesiasticos sunt  
Rex Bohemiae Archipincerna Imperii, in electione, Mogun-  
tino rogante suffragia, tertio loco votum edit, locus in  
sessione ei competit a latere dextro Regis Rom. post Mo-  
guntinum & Colonensem, qvando ministrat coronam re-

B 2.

giam

Catalogus  
hodiern.  
Archi-  
Princ.



iam gestare non tenetur. In cæteris extra electionem  
 actibus non concurrit. Excipit hunc Elector Bavariae Archi-  
 dafifer Imperii, cuius intuitu prætendit esse Judex Cæsaris,  
 ejus tamen rei exercitum rarissimum, & non nisi denomina-  
 tionem nudæ dignitatis involvere videtur, ratione Land-  
 graviatus Leuchtenbergici peculiare votum habet, de vi-  
 cariatu infradicetur. Plura refert *Thulem.* de oœtovir, c 18.  
 §. 18. Tertium inter Electores seculares locum occupat  
 Elector Saxonæ Imperii Archi-Mareschallus, qui etiam  
 extra terras Electorales Privilegium de non appellando ex-  
 ercit, durantibus comitiis ipse aut ejus Vice-Mareschallus  
 jurisdictionem in familias statuum exercent, leges sumtu-  
 rias in electionibus condit. In comitiis, sede Moguntina  
 vacante, aut legato ipsius non comparente, directorium sibi  
 vindicat, Protector est Juris Saxonici & Director corporis  
 Evangelicorum *Conf. heic Dn. de Zech im Eropæischen*  
**Herold;** Post Saxonem ordo tangit Electorem Branden-  
 burgicum S. R. Imperii Archi-Camerarium, Principem,  
 qui & ditionum amplitudine, & potentia omnibus  
 bus suis collegis anteferrī meretur, quique tot votis adeo  
 gaudet in collegio principum, quantis nemo alius, specialia,  
 quibus Domus Brandenburgica gaudet, privilegia sunt, qvod  
 1. habeat potestatem vectigalia imponendi & augendi in  
 fluminibus & viis 2. Exercet Jus primiarum precum in  
 ecclesiis cathedralibus & collegiatis suarum terrarum 3. De  
 feudis suis tanquam allodio disponere potest, præterea expe-  
 ctantiam habet in ducatū Megapolitanum, Holsatiæ & Frisiā  
 orientalem, quod potentissimus hic Archi-Princeps ratione  
 Borussiæ Ducalis, quam supremo jure tenet, regium titulum,  
 coronam, aliaque insignia nuper assumserit, non potest non  
 notissimum esse. Hunc seqvitur Elector Palatinus ad Rhenum  
 Imperii Archithesaurarius, specialia ejus jura sunt, qvod sit  
 judex Imperatoris, qvamvis hujus juris usus rarissimus, ha-  
 bet privilegium Wildfangiatus, jus conducendi per aliquot  
 territoria, est etiam protector fabrorum æneorum in partibus  
 Rheni.





Rheni. Plura privilegia recenset *Limnaeus jur. publ. l.3. c. 9.*  
in addit. de Novemviratu *Conf. Dn. Brunnemann. jur. publ.*  
*dissert. 6. §. 21.*

§. IX.

Succedunt jam reliqua reliquorum statuum officia, status sunt immediata civitatis Germanicæ membra, qvorum terris cohæret officium regni cum regali dignitate, alii ita, nec incongrue dicunt, qvod status in Imperio sint, qvi singuli in provinciis suis Imperium civile exercent, communi vero patriæ communibus consiliis & auxiliis succurrunt. Qualitas adeo status cohæret territorio, qvod immutabile, personæ autem facile mutari poterant, interest Reipubl. splendorem status conservari, quem vero possessionati longe melius, qvam qvi nulla gleba gaudent, tueri nutrireqve possunt, longe maxima qvoqve inde in rempubl., cum status proprium qvasi jus tuentur, utilitas resultat. Status vero nec matricula probat, neqve contributio onerum Imperii, neqve immediata subjectio, neqve vocatio ad comitia, sed ordinarium jus comitiorum ratione bonorum immediatorum Grand und Stimm im Reich. Status sunt vel seculares vel ecclesiastici, ad hos pertinent Archi-Episcopi, Abbates, Præpositi, Prælati, qvibus accensentur Magister ordinis Teutonici & Johannitici. Qvænam vero horum statuum origo qualiaqve horum ab antiquissimis temporibus officia fuerint, non adeo inter Dd. constat. Evidem certum esse videtur, qvod antiquissimo Francorum more fidelibus regni, qui vel in bello vel in aula officium præstabant, certæ terræ ac prædia ad sustinendam dignitatem ac familiam, vel feudi vel allodii lege ita concessa sint, ut eorum redditu vel redditus parte, qvin & juribus etiam Regalibus salarii loco qvandoque uterentur. Plus heic juris erat in feudo qvam in allodio, in illo dominium utile & jus proprium, in hoc vero perceptio saltem reddituum ac jurium cum administratione competebat. Concessio hæc terrarum, uti dixi vel ob ministeria, quæ in aula

Officiare  
liqvorum  
statuum,

Origo Du-  
cum, Prin-  
cipium,  
Marchio-  
nū, Land-  
grav.,  
Comitum,  
Baron.

vel



vel bello præstabant, indeqve ministeriales, Knechte dicti, vel propter officium ac potestate, fiebat; qvalis potestas vel propria vel administratoria erat, illa non nisi proprio jure competit, hæc nudo officii jure & vicario superioris nomine exercetur, illa nec nisi a Rege, nec nisi feudi jure dari poterat, qvi vero hæc officia potestatemque gerebant principes sunt **Fürstenmessige**; vel non Principes. Principis nomen non est officii, sed ingenerè primariam potestatem, etiam propriam, significat, non principum, mera nomina officiorum sunt, ut Comitum, illi **Hohe Mann** / hi **Edle Mann** dicuntur, illi regalia habent, hi jurisdictionem, cui usu accessere Regalia, illi onera publica jure feudi præstant, hi solo officii jure, ut subditi, plures effectus docet *Dn. Coccejus cap. 15. §. 5.* Porro Principes vel toti Provinciæ, vel parti præerant, illi præficiabantur aut Duces, qvorum summa inter Principes fuit dignitas, aut Comites palatii, hi cæsarî res curabant, ejusqve nomine jus dicebant in palatiis; eaqve proxima Ducibus dignitas fuit, uti vero qvælibet Provincia Dicum, ita qvoqve comitem palatii habuit, qvi qvatuor erant Bavariae, Sveviae, Saxoniae, & Franciae, ultimus hic palatii Francici præfectus, cum Francici Palatii Comes ipse Palatinus Rheni est, duravit, cæteris, cum Duces deinceps omnem juris dicendi potestatem in Provincia sua usurparunt, sensim obsoletis; alii Comites Palatini minores, nec Provinciis Germaniæ præfecti erant. Parti Provinciæ præerant Landgravi, Marchiones, Burggravi, Principes, **Gefürstete Grafen**. Thuringia & Hassia unus olim Landgraviatus, inter Misnienses & Brabantium vero ita divisus, ut Hassia cum suffragio Henrico Brabantino cederet, unde & hodie Hassia sola, non Thuringia, suffragio utitur. Marchiones a Marca qvæ forum seu territorium cum jurisdictione significat, dicuntur, unde das **March-Recht**. Cum vero Reges in primis limitum curam sibi reservarent, Marchiis ibi constitutis, vox pro magistratu limitaneo accipi cœpit, Burggravius



gravius dicitur Castellanus perpetuus & Judex Marchionis; Burga, ut palatia, domus publicæ sunt, sed hæc congregandi causa facta, illa defendendi, & fere cum insigniore territorio. Cum vero Landgravi, Marchiones, & Burgravii nomina offici, & varii gradus sint, non possunt principum numero haberi, nisi appareat eos de principatu investitos esse. Qvod vero, cum qvatuor saltem Provinciarum Germaniae duces olim essent, principum numerus adeo excreverit, factum id dicunt 1. distractis in plurimas partes sub Henrico Leone Bavaria & Saxonia 2. extinctis familiis ac Ducibus Franciæ & Sveviæ 3. Comitatibus aliisque terris in Principatus erectis. 4. Comitibus in Principum jus adscitis 5. Tot novis principibus in primis post pacem Westphal. creatis. Non Principes dicuntur in genere Herrn/ Edles Edle Herrn/ Edle Mann; eodemque sensu Freyen/ Freys Herrn/ semper Freyen/ officia, qvæ huic ordini der Herrn/ dari solita, sunt Comitatus, Baronatus, Jura Bannerii. Comites Præfeci qvondam pagis, sicutque merum officiū nomen in administrando jure seu ordinaria jurisdictione consistens, cui cohærebat cura rerum ad politiam spectantium: Baro liber Vasallus erat, cujus officium in Jurisdictione & tuitione castrorum consistebat, Bannerii erant, qvibus jus banni seu judicij in certo districtu datum. In terris mediatis hi, quin & Principes, Duci Provinciae, in immediatis, hæc officia immediate regno subiecta sunt. Qvando cæperint esse hereditaria, disputatur, id vero sensim, & maxime per interregnum contigisse, probabile est, qvo tempore Comitatus non modo feudi, sed & allodii jure possessi, ut & Barones regalia jura exemplo Principum acquisiverunt: qvod comitatus alii mediati alii immediati sint, qvod alii nuda, hodieque officiorum nomina sint, ut Rug-cent-Gou-Burg, Teich, Wild, Salz, Grafen passim notum est, & per hanc materiam commentarii vices supplere poterat Dr. Coccejus Jurisprud. publ. cap. 15. per tot. Inter summas, præter



*Hodierna  
persona  
summa.*

præter Electores, quos jam memoravimus, Imperii personas, eminet Archi Dux Austriae, cuius insignia privilegia sunt, quod non teneatur investituram petere extra suas ditiones, sed illa in iisdem ipsi debeat offerri, & cum alii Principes eorumque legati flexis genibus teneantur feudum accipere, Austriae Dux in proprio territorio eqvo insidet techo capite. Potest etiam ad comitia comparere, si velit, si nolit, non tenetur. Deficientibus masculis ad foeminas devolvitur Austria, in ditionibus suis creat nobiles, Barones, Comites. Ad Imperium nil conferre tenetur. A sententia ejusdem provocatio non datur. *Conf. §. 2.* Varia regna & provincias exhibit *Brunneman. in jur. publ. diss. 8-§. 5.* Post Archi Duces sequuntur Duces, pro Ducibus Imperii hodie habentur, qui de territorio, Ducatus nomine insignito, ab Imperatore investiti sunt. *Uti supra.* Tales sunt Duces Saxonie, Bavariae, Brunswico-Luneburgenses, Mecklenburgici, Wurtenbergici, Holsatiae, reliquæ provinciæ Germaniae ducatus nomine venientes v. gr. Pomerania, Clivia, Julia, Montes, item Svevia, Stiria, Carinthia, Carniolæ extinctis familiis Dominorum & Ducum suorum, ad alias Domus pervenerunt. Divisi sunt Saxonici Duces in duas lineas primarias Ernestinam & Albertinam. Electoratus dignitate gaudet linea Albertina, quippe ad quam in Mauritio a Carolo V. constituto, migravit, specialia jura tum Electorum tum Ducum Saxonie recenset *Zieglerus expressa aliquaque* hac de re dissertatione: Familia Brunswicensis viribus suis valida præpotensque est inter Germaniæ Principes, magnasque ditiones in circulo Saxonie inferioris tenet. Speciatim condirectorium, ut vocant, in diætis ejusdem circuli exercet, atque a longissimo tempore hi Duces capitanei sunt hujus circuli, situs & potentia ratione ad tuendos Germaniæ fines erga septentrionales Reges opportunitissimi, tres in hac linea sunt Cellensis, Hannoverana, & Gvelferbytana: Duces Megapolitani quatuor in comitiis suffragia ferunt, duo rati-



ratione Ducatus & Principatus Swerinensis , tertium ratione Ratzeburgi . Duces Wurtenbergici in circulo Svevico ratione directionis & convocationis haud exiguae autoritatis . Viget in hac familia jus primogeniturae . Inter privilegia sua connumerant jus vexillum Imperii gestandi , unde acres lites haud ita pridem agitatæ sunt inter hanc domum , & Hannoveranam , Archivexiliferatus officium prætententem . *conf. Cris. Annal. Svevic.* Holsatica domus in duas lineas dividitur , una Regia , altera Ducalis Gottorpina vocatur . Illa Gluckstadii , hæc Gottorpii regimen constitutum habet ; qvælibet habet suffragium in comitiis . Ratione sessionis multæ ipsi lites ortæ cum Landgraviis & Margraviis , ut & aliis Ducibus , nam proxime a Brunswicensibus collocari cupiunt . De juribus in Hamburgum *Conf. Danckvv. Chron. Holz. & Lambec. de Reb. Holsat.* Duces sequuntur Marchiones , ex qvibus hodie supersunt Brandenburgicus & Badensis . Tres lineæ Marchionum Brandenburgicorum sunt Electoralis , Culmbacensis , & Onolsbacensis . Marchiones Badenses tria in comitiis suffragia habent Badense , Durlacense , Hochbergense . Inter Landgravios Principes , qui hodie in Imperio extant , fere unice hac dignitate illustres ac conspicui sunt Landgravii Hassiæ . Divisi sunt Landgravii in duas lineas Hasso-Cassellanam & Hasso-Darmstatinam , illa provinciis & potentia pollet . In utraque linea regente jus primogeniturae viget , a Cæsaribus confirmatum , habet tota Domus Hassiaca tria in Imperio suffragia , habet præterea pacta confraternitatis cum Electoribus Saxonis a Cæsare confirmata , qvæ postea ad Brandenburgicos Marchiones extensa sunt . Siti sunt Landgraviatus Hassiæ in circulo superiori Rheni , cui maximum robur addunt . Titulum Comitum Palatinorum Comites Palatini ad Rhenum soli retinuerunt , qvin ex numero Burggraviorum , Principum dignitate fulgentium , soli supersunt Burggravii Norici , qvi titulus , postquam dignitas Electoralis

C

Bran-

Brandenburgica anno 1417. beneficio Imperat. ad hanc familiam transit, huic manst. Burggraviatus Strombergensis olim satis celebris fuit, aet hoc ad Monasteriensem devoluto, hic votum in comitiis propterea habet. Principum Imperii titulum ex antiquis Germaniae Principibus soli fere Anhaltini tenuerunt. Tota haec domus in quinque propagines divisa, uno gaudet suffragio, seniori in familia competenti. Plures deinceps Principes noviores, interque Eos ab invictissimo Imperatore Leopoldo creati sunt, Principes Hohenzollerenses, Salmenses, Lobkowitz, Eggenberg, Dietrichstein, Nassau in Hadamar und Dillenberg, Aursperg, Piccolomini, Portia, Ost-Friesland, Waldeck, Furstenberg, Schwartzenburg, Oettingen aliisque. Quid ad Comitum hodiernum statum attinet, illi vel sunt Comites Principali dignitate fulgentes *gefürstete Grafen* / vel Comites Imperii, simpliciter sic dicti. Ad illos pertinet Comitatus Hennebergicus, qui ad Saxoniae Duces, & Comitatus Tyrolensis, qui ad Austriacos pertinet. Hi dividuntur hodie in 4. Scamna, Svevicum, Wetteravicum, Franconicum & Westphalicum, unde quatuor vota curiata habent. Catalogum Horum recenset *Dn. Brunnem. jurispr. publ. diff. 8.* §. 29. Habent jus circa sacra, recipiunt homagia a subditis, Cancellaria, Archivo, aliisque ad territorium pertinentibus instructi, *Conf. Dn. de Seccendorff im Deutschen Fürsten-Staat p. 2. c. 7. §. 5.* Reliqui Comites Landassii sunt, ad quos omnes pertinent, quibus dignitas haec collata citra jus suffragii & sessionis in comitiis Imperii. De Baronibus *Conf. Dn. Brunnemann. d. l. s. 31. 32.*

## §. X.

*Status Imperii ecclesiastici.*

Ecclesiasticorum Imperii statuum origines ex genuinis historiæ principiis examinavimus in *diff. nostra de Jure Reformati in Sacris per tot.* Ecclesiasticorum munera duplia sunt, alii constituti sunt, ut docendo, alii, ut armis religionem promoveant, *Omnis in regno Germaniae Episcopi Prin-*

Principum, reliqui Prælati Comitum jure utuntur. Germania cum sua accessione divisa est in VIII. Archi-Episcopatus, & sunt Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Magdeburgensis, Salisburgensis, Bremensis, Rigenensis, Vesontinus. Horum singuli subjectos sibi in sacris habent Episcopos seu suffraganeos, Bambergensi tamen, Misnensi & Ratisbonensi exceptis. Episcopis singulis juncti qvondam fuere comites, ut illi Ecclesiasticorum, hi secularium curam gererent, utriqve nomine Principis. Ex Archi-Episcopis Romano-Catholicis in Imperio tantum supersunt præter tres Electores Ecclesiasticos, Salisburgensis & Vesontinus, qui tamen hodie sub Galli ditione est. De pallio a Pontifice redimendo, & qvomodo illud conficiatur, *Conf. Ziegler. ad Lancell. lib. I. t. II. §. 1.* Episcopos recenset *Dn. Schweder. jur. publ. part. spec. Sect. II. c. 6.* Singulorum jura exponit *Sprenger. de jur. publ. lib. 3. c. 19.* Episcopi gemino jure utuntur, Episcopali & territoriali, diversissimo tamen jure. Ratione prioris subjecti sunt Archi-Episcopo, alterum immediate ab Imperio agnoscant; in causis ecclesiasticis ad Archi-Episcopum, in cæteris ad Cameram appellatur, plures effectus recenset *Dn. Coccejus c. 18. §. 37.* Ex evangelicis Episcopatibus supersunt Episcopus Osnabrugensis & Lübecensis, qui postulati dicuntur, non electi, nec ulla confirmatione indigent. *P. O. art. 5. §. 21. 22.* Episcoporum jure utuntur Magistri Eqvitum, pro tuenda qvondam in Imperio religione constituti. Ordines horum varios expeditio Hierosolymitana peperit. Duo enim ibi initio occidentium quidem Christianorum ordines antiquissimi erant, hospitalarii & templarii, illi peregrinis hospitio recipiendis, hi itineribus eorum a vi tuendis operam dabant. Magnus tum Borussiæ, tum Teutonicorum eqvitum per Livoniam Magister desit. Magister ordinis Teutonici, qui Mergentheii ad Tubarim in Franconia sedem habet, proximum in scanno Principum Ecclesiasticorum locum occupat ab

Archi-Episcopis; dividitur hodie in XI. Ballivias, qvas re-  
censem Imhoff. not. proc. lib. 3. c. 7. §. 4. Ab hoc vero differt  
ordo Eqvitum S. Johannis, qvorum Magister inter Prælatos  
principali dignitate fulgentes locum obtinet, ramus hic est  
prioratus ordinis Maltensis. Sedes ei est Heitersheimii in  
Brisgoa, & inter membra circuli Rhenani superioris refer-  
tur. Ab hoc dependebat antea etiam Bajulagium Marchi-  
cum seu Magisterium Domini das Herrn Meijsterthum zu  
**Sonnenburg.** Complectitur illud complures commendas  
per Marchiam, Pomeraniam, Lusatiam, Ducatum Meck-  
lenburgicum, Saxoniamqve dispersas. Hodie potentissimus  
Borussorum Rex habet ius conferendi hujus Bajulagii, cujus  
Ballivius vocatur Magister S. Johannis Hierosolymitani.  
De qvo conferatur *Dn. Beumannus* speciali tractatu. Bona  
eqvitum non sunt ordinaria beneficia, sed commenda;  
qvarum plures Baliviam faciunt; utuntur Jure Clericorum,  
non tamen in his successio, sed elecio tenet. Jura haec ex  
principiis Juris Canonici & Feudalis deciduntur. Post Epi-  
scopos seqvuntur Abbates, qvorum aliqui ab Imperatore  
in Principum numerum relati **Gefürstete Aebte**/ qui statuum  
nomine veniunt, & voto & sessione in comitiis utuntur.  
Inter hos eminent Abbas Fuldensis, Murbacensis, Campi-  
dunensis, Corbejensis, Prumiensis, Stabulensis. Abbatissæ  
qvædam & hac prærogativa insignes, qvod votum & Ses-  
sionem in Imperio habeant, qvo pertinet Abbatissa Qued-  
linburgensis, Gerenrodensis, Buchaviensis, Esensis,  
Hersfordiensis, Andlaviensis, Lindaviensis, Gandershei-  
mensis, Burscheidensis, Hechenbachensis, Roto-Mona-  
steriensis, Beindensis, Abbatissæ Ratisbonenses. Abba-  
tissas has citra resignationem beneficij nubere posse, multis  
rationibus demonstrat *Dn. Thulemarius* speciali hac de re  
scripto. Pleraque jure suffragii & sessionis in comitiis gau-  
dent. Reliqvi Prælati, dignitate Principum non eminentes,  
duo tantum curiata in comitiis habent vota.

*Abbates.*

*Abbatissæ.*

§. XI.

## §. XI.

Ordo jam postulare videtur, ut, qvod fere omissum, de officio vicariatus, de civitatibus, de nobilibus immediatis, de corpore academico, aliisqve nobilibus qvædam mentio fiat, qvanqvam posteriores hi nomine statuum Imperii non veniant. Vicarii sunt, qvi nomine superioris Vicario potestatem exercent. Rege absente, vel regno vacante, vicarius regni est Comes palatii Francici seu Rhenensis, exceptis Saxonia & terris ei accensitis, Ei qve ut Comiti palatii regni, non ut Electori, neqve qvod Archidapifer sit, hoc vicariatus officium ab omni memoria competit. Ipsa Aurea Bulla tit. 5. ita disponit; *Soll der erleuchtete Psalzgraaff beym Rhein von des Churfürstenthums und Psalzgraaffschafft Freyheit wegen ein Berweser und Pfleger des Reichs sein;* qvod jus per tot, qvæ Limnaeus adducit, instrumenta a cunctis ordinibus confirmatum, qvod nec per ipsam pacem Monasteriensem mutatum, in qvo saltem de jure electionis, seu dignitatis Electoralis dispositum, postqvam enim anno 1648. per pacem Osnab. & Monast., rescissis anno 1623. actis, palatinatus inferior seu Rhenensis, ceu terra Electoralis restitutus palatinis, non qvicqvam inde, nisi dignitas Electoralis translata. Duo regni vicarii sunt, Palatinus Rhenensis & Saxonius, nam in Universali regni gubernatione obtinet bipartita Germaniæ divisio in superiore, qvæ juris Francici, & inferiorem, qvæ continet terras Juris Saxonici ad jus Provinciae Saxonicae pertinentes. Uterq; vicariatus complectitur regnum Germaniæ. Mortuo vel remoto rege, alii vicarii esse non possunt; absente possunt, R.I. 1555. §. 3. 4. Vicarii omnia, qvæ ipse Rex, expedient regni negotia ac judicia, nisi qvædam inspecie reservata, uti investitura der Fahnens Lehnen/ anno tamen elapo investituram pente indulgent, ut utatur regalibus, qvam deinceps Rex confirmat, alienationes Imperii iisdem interdictæ, qvod fecus est in alienationibus feudorum non regalium, Tertium Colle-

*Cætera il-  
lustrium  
officia &  
jura.*

*Vicarit  
Imperii.*

*Civitates  
Imperiales.*

Collegium, cuius membra singula Jure suffragii & sessionis in comitiis fruuntur, ex civitatibus Imperialibus componitur. Urbes olim in Germania nullæ. At sub Carolingis & ante Conradum I. jam plures, eæque munitæ, apud Venedos vero trans istrum ac Rhenum diu ante extructæ sunt. Jus civitatis dare Majestati competit, & inter præcipua regalia est *Conf. Thomas, diss. de jur. stat. dand. civitat.* Civitas est juris tuendi gratia, vici & pagi agri colendi causa. Metropolis est totius provinciæ mater. *Conf. Dn. Corring. diss. de Urb. Germ.* Civitates sunt vel mediatae *Land. oder Fürsten-Städte*, vel immediatae *Reichs-Städte*, mixtae civitates, qvæ partim Imperatori, partim Principibus subjectæ, non dantur, qvamvis hinc inde pactis & transactionibus qvædam alteratio contingat. Immediatae erant vel *Reichs-Städte*, vel freye *Reichs-Städte*, in illis constituebatur præfetus Regius *Reichs-Bogdt.* *Reichs-Schulze*, ut fiscalium regiorumqve juri, ad regium fiscum spectantium, curam ageret, regni enim civitates, adeoqve & earum redditus publici erant fisci regii. A qvibus præstationibus hæ nimirum die freye *Reichs-Städte* immunes erant, cum vero omnes civitates immediatae haec jura fiscalia a longo tempore sibi acquisiverint, cessat haec distinctio. Cum civitatibus imperialibus non confundendæ Urbes Hanseaticæ, qvæ olim foedere inter se implicatae ad defendendum commerciorum cursum, multæ qvoqve civitates municipales huic foederi nomen ab initio dederunt, qvod tamen haud diuturnum fuit, qvia in potentiores urbes & emporia utilitas ex hoc foedere redundavit, onere penes infirmiores manente, hodie societatis hujus exiguis usus, & præter nomen nihil fere superesse videtur. Privilegia & jura cujusqve Imperialis civitatis recenset *Knipschild. tr. de civitatibus.* Civitates Imperiales, qvæ voto & sessione gaudent in comitiis, sunt status Imperii, competit iis vi instrumenti pacis votum, non consultativum, sed decisivum, qvamvis civitatense collegium

non



non quidem admittatur ad re- & correlationem duorum superiorum collegiorum; nihilominus tamen conclusum Imperii non efficitur, nisi & hoc collegium consentiat cum duobus prioribus. Directorum in hoc penes illam Imperii civitatem est, ubi comitia celebrantur. Habent plerque privilegia de non appellando, nisi ob certam summam. Ulmae Archivum collegii civitatensis asservatur. Omnia denique jura, quae superioritas territorialis principibus largitur, tribuenda quoque sunt civitatibus immediatis. Circa praecedentiam civitatum cum nobilibus Imperii immediatis, varia quidem existit disputatio, quae vero ita determinari posse videtur, quod cum hi nobiles status Imperii non sint, consuli totam civitatem representanti cedere debeant, extra hunc representationis casum, nobili ex communi consuetudine dignorem locum relinquentem esse, genius seculi svadet; nunquam enim nobiles immediati status Imperii fuere, cum non propter officium regni, sed ministerium & ipsi constituti, & terrae iis datae sint, nec quod aliquando ad comitia vocati, hanc sententiam infringit. Eqvitum ordinis in Germania duplex est conditio, pars enim immediate Imperatori & Imperio subest, pars alios status Dominos suos agnoscit. Postiores dicuntur *Landsassen*, qui iterum maxime in Saxonia, distinguuntur in *Schrift- oder Canzelys*, *Gassen* und *Amt-Gassen*. Liberi Imperii nobiles die ohne mittelbare Reichs-Ritterschafft de quibus hoc loco agimus, pro districtib' dividuntur in classem Franconicam, Svecicam & Rhenanam. Singuli districtus e suis constituunt *Rähte* und *Ausschuß*, cum syndico & secretario, quibus praest Capitanus, *Ritter-Hauptman*. Data sunt his nobilibus prædia cum redditibus, plerumque cum mero mixtoque Imperio, regalia usu accessere. Noviter quidem accessere nobiles inferioris Alsatiæ, reliquis pacto Mergenthalensi d. 28. Jun. 1651. certis legibus juncti; neque tamen quartum circulum faciunt, neque reliquis inserti sunt. Privilegia cum totius

*Nobiles  
Imperi  
immediati.*

COR.



*Mediata  
Imperii  
membra.*

corporis, tum cujusque circuli compendio exhibit *Casparus a Lerch. apud Limnaum in add. c. 3. n. 7.* Mediata Imperii membra ac cives vel dignitate eminenti gaudent, vel non, dignitas illa vel ecclesiastica est, uti prælatorum, vel secularis, uti Comitum & Baronum mediatorum. Prælatorum ea dignitas vel personæ est, uti Abbatum, vel corporum, uti die geistliche Capitular-Stiffter/ qui non sunt Imperii statutus, istiusmodi cum Prælati dignitate corpus in primis est Academia. Comites & Barones mediati ratione bonorum Landsassii sunt, qvibus Illustris dignitas ab Imperatore concessa. Reliqui cives vel corpora sunt, vel singuli; corpora vel ecclesiastica vel secularia, singuli hoc ordine recensentur: Ritter/ Doctor, Edel/ Stattmann. Inter hos qvidam rei privatæ, qvidam officiis reipubl. parantur, qvalia officia vel togata vel sagata sunt, togata literati, militaria ministeriales seu nobiles explet, illi pacis, hi belli studiis intenti. Nobiles hi fieri qvoque possunt eqvites Rittere/ qui peculiarem ordinem faciunt, privilegia nobilium, qvin & ordinem inter officia togata & sagata eleganter demonstrat *Dn. Coccejus c. 31. §. 17. seqq.* Cives fiunt vel nativitate, vel allectione, vel domicilio constituto. Domicilium facit incolam, qui instar civis est, qvoad onera & jura privata *bürgerliche Mahnung.* Albinagii jus peregrinos a communione Juriū Civilium tollit. Judæi non sunt subditi, sed *Schutz-Verwante.*

§. XII.

*Jura maje-  
statis Rega-  
liaque,*

Succedit jam amplissima illa materia Imperatoris statuumq; Imperii jura regaliaque exhibitura, qvorum tantus est ambitus, ut his, qvæ pro præsenti velitatione supersunt, pagellis comprehendi haud possit, pauca tamen hac de re delibabimus. Jura majestatis vel circa sacra, vel circa secularia occupantur, hæc vel majora vel minorasunt, conceduntur vel sigillatim, etiam mediatis, & dicuntur Regalia, *Herzlich Leiten/* vel conjunctim, regulariter solis immediatis & cum territorio, & tum dicuntur superioritas territorialis; Qvæ pro-



proinde est summa potestas certo territorio cum juribus regalibus, salvo jure Imperii, immediate competens. Regalia concessa primum sunt Imperante Henrico Aucupe solis Ducibus Provinciarum. Reliqvi Principes & Episcopi sensim, in primis post Henricum V. & proscripto Henrico Leone; Comites post interregnum itidem sensim ea acquisiverunt, *supra*. Jura Imperatoris Regalia circa sacra examinat *Coccejus c.22. conf. diff. nostr. de jure reform. in sacris.* Evangelicis statibus, tota ecclesiasticorum in eos jurisdictione suspensa & abrogata, competit vi superioritatis territorialis in suis territoriis omnia jura tum Episcopalia, tum Papalia *P. Osn. art. 5.* Secularia regalia majora vel tempus pacis, vel belli respiciunt, illa in administranda inter subditos justitia, haec in tuenda republ. adversus vim vel injuriam consistunt. Ad primum caput pertinent potestas leges vel statuta condendi, potestas legibus derogandi & privilegia dandi, quo pertinet jus restituendæ famæ, moratoria dandi, jus veniam ætatis dandi, legitimandi per rescriptum, jus asyli, jus nundinarum. Porro ad caput primum referri poterat jus judicia constituendi ac mutandi, potestas nobilitandi, & magistratus ac honores conferendi, non afferendi, nisi ex justa causa, jus ordinationes politicas faciendi, jus monetæ cudendæ, jus erigendi academias, & jus archivi. Ad alterum caput nimicum bellum armorumque jura pertinet jus seqvelæ, delectuum, lustrationum, hospitationum, præsidii, muniendi *Heers Wagen*, aliisque angariae militares, Repressaliæ. Jus belli eiique annexa jura statibus Imperii, etiam post pacem publicam, competit *Leop. art. 3. ord. crim. art. 129.* Utrique capiti communia sunt jus comitiorum, potestas dandi jus civitatis, jus pacis & foederum, non tamen contra Imperium, jus legatos mittendi, jus homagii *Richts- und Lands-Huldigung.* Inter regalia minora, quæ in redditu, aliisque reipubl. subsidiis consistunt, sunt, Viæ publicæ, Flumina navigabilia, quo pertinent portus, Anchorage

D

Fähr:

*Reservata  
Imperato-  
ris.*

Fahr: Leinpfad; ripatica; vesticalia; telonia; pedagia, vesticalia in dubio domini territorii sunt, nec tamen nova institui, nec vetera augeri possunt, nisi permissu regis & consensu saltem Electorum R. I. 1576. §. 116. cap. Leop. art. 21 & seqq. Joseph. art. 20. Referuntur huc porro jus conductendi, Geländ: Straßen zu Wasser und Land: Geländliche Obrigkeit; qvodsi in via publica vel flumine crimen perpetratum fuerit, non domino territorii, (nisi aliud usu loci obtineat) sed ei, cuius est die geländische Obrigkeit; cognitione ejusdem competere videtur. Spectant huc etiam Fodinae, non auri tantum & argenti, sed cuiusque metalli, item salis, eoque nitri sulfuris, vitrioli, aluminis seu styp: eriae, adespota seu hero parentia, jus forestale Forestliche Obrigkeit; cuius duæ partes, sylvaticum Hug- und Wald-Recht; Bannum ferinum Wild-Hahn/alia jura fiscalia cum Imperii tum statuum, collectæ, Reichs- und Land- Steuren/ gabellæ, census duplex emigrationis, & detractionis, operæ publicæ seu angariae & parangariae, jus postarum, qvod & statibus competit, jus decimarum, jus stipulæ, Gruis seu gratiæ, Flöß-Recht; Salm-Grunde; Geranii, Albergarii, Uzung/ aperturæ, Fräulein-Steuer; Legations-Kosten/Monopolia. Tametsi qvidem hæc modo enarrata regalia Imperatori & statibus competant, dantur tamen qvamplurima jura reservata, ad solum Imperatorem spectantia Käyserl. hohe Reservaten R. I. 1576. §. 117. Duplici autem sensu dicitur Imperator solus aliquid facere posse, & reservatum ejus esse, 1. cum solus seu absqve consensu & conventu statuum decernere potest. 2. Cum solus Imperator in Imperio, adhibito tamen consensu statuum, non vero status in territorio quid facere possunt. Alii ita, reservata sunt certa jura Cæsarlis, qvæ ille exercet in territoriis statuum hisce volentibus, & non refragantibus, imo & potentibus interdum. Referunt huc jus academias confirmandi, qvod tamen & statibus tribuunt Rhetius & Thomasius. Jus Duces, Landgravios, Principes, Mar-



Marchiones, Comites, Barones creandi. Jus nobilitandi statibus qvoq; adscribunt. Jus civitates condendi in Imperio multi status in territorio suo exercuerunt; de jure postarum statibus competente paucula jam dicta, interim cursuum cæsareae majestatis per Imperium magna est autoritas, de qvo conf. Capit. Josephi §. 34. verbis *Nichts weniger wollen Wir den General-Erb-Post-Meister dahin halten, daß er seine Posten mit aller Macht wohl versehe.* Imperatorem vero vi juris sibi reservati, solum posse cognoscere absqve Principum Imperii consilio ac judicio de Feudis, plerorumqve veterum publicistarū sententia est, ast vero hoc jus proscribendi statum Imperii, toti competere Imperio, idqve das Fürsten-Recht dici, verior est sententia, jura enim majestatis, qvorum vi hæc cognitio exerceatur, Imperatori & Statibus ex æquo competunt, exemplo Cameræ Imperialis hoc demonstrari poterat, qvæ omnes causas nomine Imperatoris & statuum simul cognoscit, qvin, ut certissimam hujus rei praxin taceam, res decisæ Pac. Osnab. art. 8 §. 3. cuius vi in comitiis statui debet modus proscribendi. Confirmationes Imperatoriaæ ratione tutelarum illustrium, veniæ Impetrationis, & legitimationis personarum illustrium ab Imperatoria majestate qvidem peti solent, consultumqve est, istiusmodi sæpe peti, verum multa supersunt exempla, ubi confirmatio illa nunquam petita est, de qvo Conf. Illustr. Dn. Stryck. diff. de tutel. matern. princip. c. 3. referunt porro huc justabelliones creandi, renovationes investituræ statuum, nuda confirmationes v. g. confraternitatū, testamentorum Cætera jura minora, qvæ & privatis concedi, & inter reservata referri solent, exponit Brunn. diff. §. 21. seqq.

### §. XIII.

Consultationes statuum de rebus Germaniæ olim fiebant in comitiis, deinde per institutum a Maximiliano I. Regimento, nunc vero, cum difficiles essent omnium statuum annui conventus, iterum in comitiis. Comita vel sunt particularia Craibz/ Churfürsten/ Fürsten und Grafen-Zage/ vel Universalia

Reichs

*De Comitiis.*



**Reichs-Tage/** qvæ vel omnium Imperii statuum sunt, vel Deputatorum, Deputations-Tage. Deputati sunt omnes Electores, sex Principes, unus prælatus, unus comes, duas civitates. Postea additi 4. status, hodie tot addendi, ut æqvetur utriusqve religionis numerus *R. I. 1654.* convocantur a Moguntino. Ex concluso fit Deputations-Abscheid. Comitia Imperii indicit Imperator intra fines Germaniae, eo loco & tempore, de quo cum Electoribus per literas vel legatos convenit. Omnes Imperii status, et si nondum vel clerici a Papa confirmati, vel seculares investiti sint, vocari debent. In terris dividuis omnes, in individuis primogenitus. Vocati comparant per se vel legatos, nisi persona comparere jussa sit, qvod ex magna causa fieri potest *R. I. 1522. §. 9.* Tria in comitiis collegia statuum sunt, & suum cuique directorium. I. Electorum, qvorum Director est Moguntinus, lis, qvæ inter Hunc & Saxonem intercessit, per transactionem de anno 1629. ita sopita, ut hic in causis extraneorum concurreret. II. Principum; ubi Directores Austriacus & Salisburgensis, qui alternant per causas, illo incipiente. Suffragia rogat hic Marescallus Imperii. III. Civitatum Imperii: Directoris vices gerit civitas, ubi conventus habetur, *supra*, vel, si illa comitii capax non sit, prima cujusqve scamni. Prælati & Comites eorumqve suffragia curiæ Principum aggregantur: Civitates propriam curiam faciunt. Materiæ in Comitiis statuum universalibus tractandæ sunt negotia Imperii publica: nisi vel minoris momenti, & soli Imperatori, vel collegio saltem Electorali relicta sint. Catalogum eorum, qvæ in Comitiis agitari solent, qvin & ordinem sessionemq; in comitiis fusius exhibit *Dn. Coccejus pr. jur. publ. p. 337.* Causas in Comitiis agitandas proponit Imperator, deliberant stat<sup>o</sup>. Unde duplex processus 1. Propositionis, 2. Deliberationis. In singulis collegiis concluditur per majora, exc. causam religionis, qvoties dissident pontificii & Evangelici, qvin & qvotiescunqve status non possunt ut unum corpus considerari.

§. XIV.



## §. XIV.

Omnis Imperii cives subjecti sunt judiciis, qualem vel regni vel statuum, regni judicia vel summa vel subordinata, summa duo sunt, Camera Imperii & Aulicum judicium, quae concurrentem habent jurisdictionem, illa a Maximiliano I. instituta, hoc Ferdinando I. Imp. originem debet, deinceps vero per pacem Osnabrugensem firmatum fuit, inter causas ad cameram non pertinentes referuntur criminales, quibus de privatione feudorum regalium, et si in possessorio saltem ordinario agitur, ecclesiasticæ, causæ vero ad cameram etiam in prima instantia pertinentes, sunt, causa fractæ pacis publicæ, causæ fractæ pacis religiosæ, causæ fiscales, causæ miserabilium, & ex continentia causæ, porro quae ad cameram in prima instantia non pertinent, nisi reus sit immediatus, aliae causæ sunt, quae eo in prima instantia non pertinent, nisi utraqve parte immediata, quin per appellationem saltem ad cameram deferuntur omnes causæ civiles, certam summam non excidentes, quae omnia cum limitationibus fusissime exhibent, Gailius, Rodingius, Blumius aliquique. Subordinata Regni judicia immediatorum propria, sunt Austregæ, seu primæ instantiæ immediatorum, de quibus eorumque processu totus Schubarti tractatus, in primis vero elegantes hac de re Dn. Cocceji disputationes conferri merentur. Subordinata regni judicia, statuum subditis communia, non sunt, nisi in terris immediatis, Francia, Svevia, terra Rhenensi & Westphalia. Statuum vero judicia, sunt vel immediata, ut Dicasteria, vel mediata, quorum pertinebant die Ding-Gericht, Ding-Stuhl, Rug-Gericht, Gow-Gericht, Hub-Gericht. Utut vero haec omnia, pluraque alia, in primis vero illustrissima illa materia de patris confraternitatis, advocatiæ, Ganerbinatus, de jure primogenitura, de appanagio, de juribus foeminarum illustrium, de testamentis atque tutelis Principum, de oneribus statuum, pluribus deduci & potuisse & debuisse, interea tamen, quoniam non tractatum, sed leviculum aliquod studiorum meo-

*Judicia  
Imperii.*

*Epilogus.*

meorum specimen, ulterius olim exornandum, sistere, & summas Imperii personas ex compendiis per compendium exhibere, & ita ad altiora me preparare volui, hosce studiorum conatus non indigne interpretatum iri confido, qvodsi in uno alteroqve articulo hallucinatus fvero, meliora monentes sponte me fecuturum promitto.

## COROLLARIA.

1. *Jus publicum nihil aliud est, quam prudentia legum publicarum, quibus jura inter diversos ordines ad regendum hanc vel illam rem publ. concurrentes, definiuntur.*
2. *Tot jura publica specialia constitui possunt, quod dantur Respubl.*
3. *In monarchiis rara est juris publ. tractatio, quo laxior autem Imperandi vis est inter illum, qui caput representat in civitate & ejusdem ordines, eo amplior ejus materia.*
4. *Jus Publicum a politica penitus differt.*
5. *Ratio status subministrat, quomodo ex duobus malis minus eligatur, ad tuendum statum publicum.*
6. *In Receßibus Imperii agitur vel de statu publico Germaniae, vel derebus transitoriis a Cæsare & Statibus expediendis, vel de legibus & negotiis privatis ad statum subditorum pertinentibus.*
7. *Genuina jurispubl. Principia tum ex historia, tum LL. publicis petenda sunt.*
8. *Principia tamen in jure publico sunt pauca, conclusiones infinita.*
9. *Optime jus publicum petrabitur, si ex jure publico Universali applicatio fiat ad jus publicum particulare.*
10. *Status est qualitas secundum quam jus variat, & diversus status etiam diversa jura facit, unde leges ante ducentos & trecentos annos sub alia Reipubl. facie late, ad hodiernum statum applicari non possunt.*
11. *Veteres Jurisprudentia publica interpretes sepe ingentem moventem controversiam, posterioribus in legibus duobus verbis decisam, unde Recentiores publicistæ felicius consuluntur.*
12. *Termini Scholastici nihil ad explicandum jus publicum faciunt.*



13. Principes inter se litigantes ex Jure Nat. & Gentium, quin & consuetudinibus Germania immemori alibus judicandi sunt, nisi in hoc vel illo capite Juris Civ. receptio, tanquam exceptio doceatur.
14. Donatio omnium bonorum, quin futurorum, valet.
15. Furem, qui rupto laqueo vivus decidit, iterum suspendendum non esse, aquius est.
16. Filius presumitur legitimus, nisi mater cum ex adultero natum proficiatur.
17. Dote promissa & non soluta, non tenetur maritus uxorem atere.
18. Partus septimestris in dubio non potest contradicenti marito pro legitimo obtrudi.
19. Concubinatus Jure Romano non fuit legitima cohabitatio.

—  
**F**los juvenum, sic perge gradi, quo Te rapit alti  
    Impetus ingenii non sine laude Tui.  
Sis patris & patriæ decus, atque corona Tuorum,  
    Virtutis capias præmia larga precor.

*Ita laudatissimis Dn. Respond.  
conatibus applaudit*

### P R A E S E S.

**P**rincipe digna moves, qui Princeps ipse vocaris,  
    Principibus placeas! Laude perennis eris.  
Gratulor ergo Tibi, votoque ardenter opto:  
    Ut porrò studiis adsit fœva Tuis.

Nobilissimo Dn. Respondenti, doméstico  
atq; Commensali dilectissimo gratu-  
labundus apposuit

**J**O H. TITIUS, RintheL Eccl. Luth.  
    Pastor Prim.

E

Im-



QK TK 1438

X 2373773

32



I Mperii Sancti leges tractasse peritè,  
Insignem laudem conciliare potest.  
Nam quæ Pandectæ tradunt legesqve Novella,  
Et quæ perplexè Triboniane doces,  
Ad Privatorum lites ac jurgia spectant  
Murmuraqve ingratî litigiosa fori;  
**Illa** sed ad Procerum spectant ac jura Potentum,  
Grataqve sunt magnis Principibusqve Viris.  
Nomine quo noti multi, qvos fama celebrat,  
Et qvos Kulpisii penna diserta refert. \*Qyorum dum seqveris filum sub Præside docto,  
Ad laudes præeunt nomina tanta tuas,  
Sedulitate tuâ Parris & vestigia calcas,  
Müllerique tui, deliciiqve mei.  
Gratulor, atqve Tibi sint hæc felicia copta,  
Sir. precor, hoc faustum sedulitatis opus,  
Utqve regas verâ tandem Pietate tribunal,  
Et fallax sociâ relligione forum.  
Sic poteris Sanctæ Themidi placuisse, placere  
Sicqve Deo poteris Principibusqve Viris.

Eruditissimo Dn. Respondenti, Amico  
honoratissimo de egregio specimine  
gratulaturus l. m. q. scrib.

C. P. DOHM.

\* In Dissert. de Studio Juris Publici rectè instituendo, scripto-  
ribusqve eò pertinentibus, quam sub nomine J.G. Sulpicii  
edidit Ann. 1688. in 8.

**A**RQUIT ingenium nutritum Palladis arte,  
Dum, qua Principibus Jura Sacra, doces,  
Quodque fuit nodus non paucis Gordius alter  
Dissolvis dextrè non sine laude tua.  
Pergito. Sic tandem conscendes culmina Pindi,  
Sertaque Thymbraus necler Apollo tibi.  
Hæc tenui Minervâ apponere voluit  
D. DWERHAGEN, LL. Stud. Brem.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



B. H. II, 86.  
h. i. i.

DISPUTATIO

# JURIS PUBLICI De

II k  
1458

# SUMMIS IN IMPERIO ROMANO GERMANICO PERSONIS, EARUMQUE OFFICIIS ET JURIBUS,

QUAM

In Illustri  
*Academia Hasso-Schaumburgica,*

IN AUDITORIO JC TORUM,  
Ad diem Mart. M DCCII.  
Publico eruditorum examini subjiciunt

PRÆSES

HENR. ERN. KESTNER,  
D. & Prof. Jur. Ordin.

Et RESP.

JOHANNES ADOLPHUS FURSTENAU,  
Hervordia Westphalus.

21.

RINTHELI,  
Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.